Rosenkranz, D.

Seinem guten Freunde dem Dr.
der Med. und Chirurgie Parreidt

der
Verfasser

Lane Medical Library

DE EXSTIRPATIONE COLLI UTERI, NOVIS MORBI HISTORIIS ILLUSTRATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-AKIURGICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
INCLYTA UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE I. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
DAVID ROSENKRANZ,
INNOWRACLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
H. W. BEREND, MED. ET CHIRURG. DR. MED. PRACT.
J. STAUB, MED. ET CHIRURG. DR.
C. BOEGER, MED. ET CHIRURG. DD.

BEROLINI
TYPIS PETSCHII.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40153524_0136

VIRO

EXPERIENTISSIMO CELEBERRIMO

J. F. DIEFFENBACH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI IN UNIVERSITATE BEROLINENSI, MEDICO DIRIGENTI IN NOSOCOMIO CARITATIS, CURATORUM AEGROTORUM DIRECTORI, COMMISSIONIS SUPREMAE EXAMINANDIS MEDICIS ET CHIRURGIS BEROLINENSIBUS CONSTITUTAE MEMBRO, SODALI SOCIETATUM MEDICARUM ET PHYSICARUM QUAE EXISTUNT BEROLINI, BONNAE, BRUXELLIS, HAFNIAE, DRESDAE, ERLANGAE, HANOVIAE, HEIDELBERGAE, JASSY, LIPSIAE, LONDINI, LUGDUNI, METIS, HOLMIAE, VURCEBURGI, TIGURI, EQUITI ORDINIS WASANI SUECICI ETC.

PRAECEPTORI

SUMMOPERE VENERANDO

NEC NON

VIRO DILECTISSIMO

HENRICO BEER

FAUTORI SUO HUMANISSIMO

NEQUE MINUS

AMICO SUO

ORNATISSIMO COMITI

AUG. DE CIESZKOWSKI

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

VENERATIONE ET PIETATE DUCTUS

AUCTOR.

L. L. B. B.

Medicinae annales novis historiis locupletare res est facilis, si materiam diu confectam, ardua vero, si materiam novam tractamus. Quare Dissertatiunculae argumentum minus ad huc perlustratum vobis offero. Rogo igitur judices, ut mihi indulgeatis, hoc opusculum recensentes, si

forte desideriis non satisfecerim, ut repu-
tetis has studiorum meorum esse primitias.
Si quid boni vero Lectores in hoc opus-
culo inveneritis, id moderatoribus meis ac-
censeatis quaeso.

MORBI HISTORIAE.

I.

Carolata Anders, annos quinque et viginti nata, viro nupta, ante d. x. Calend. Maji c. a. in caritatis nosocomium recepta, fluore albo laborare putabatur. Aegrota cachectici aliquid prae se ferens, pluribus ex mensibus ventris infimi doloribus periodicis, catameniorum anomaliis, fluore albo et alvo tardissima, quae tantummodo purgantibus fortioribus cieri possit, sese conflictari dixit; praeterea majores taeniae partes per anum saepius secessisse, affirmavit. Faciei lineamenta nihil indicabant anomali, abdomen neque durum, nec inflatum reperiebatur verumtamen regio hypogastrica atque pubis tactus impatiens erat. Lingua tegmento albido oblita humidaque apparebat, cutis mollis ac tepida, pulsus modice frequens, plenus, mollis. Ad locum dolorificum hirudines viginti admovebantur, praeterea ad alvum ducendum enema applicabatur, ad usum internum vero haec imperabantur:

Rec. Decoct. rad. Alth. (ex ʒij parat.) ℥vj.
Aquae Lauroceras. ʒij.
Syrup. Alth. ℥ß.
M. D. S. Alternis horis cochlear maj. sumatur.

Alvus semel copiosa reddidit excrementa normalem indolem habentia, nec teniae particulis, nec, uti in morbo verminoso fieri solet, muco remixta, at quum taeniae praesentia disputari non posset, ante d. VIII. Calend. Maji methodus anthelmintica *Schmidtii*, quippe cujus administratio nullis rebus vetari videretur, ita in usum vocabatur ut primum curatio exploratoria hoc modo institueretur:

Rec. Infus. Valer. (ex ʒij) ℥vj.
Extract. Tanacet. ʒij.
Sacch. alb. ℥ß.
Solv.
D. S. Omni bihorio cochlear praebebatur majus.

Quae medecina ne minimas quidem molestias aegrotae intulit, faeces aliquoties dejectae neque a norma alienae taeniae particulis interemixtae fuerunt. Interposito quatriduo, ergo ante d. IV. Calend. Maji, Pillulae *Schmidtii* anthelminticae saxaginta, singulis horis senae, exhibebantur et post quamque dosin Olei Ricini cochlear majus sumendum imperabatur, quae medicamenta quidem largae alvi excretiones, minime vero dolorum decrementum subsequebatur. Ineunte tunc catameniorum fluxu, curationem suspendi oportebat. Quae postsa instituebatur medendi ratio inprimis nervorum systematis alterationem et hystericarum affectionum, quas apud aegrotam praevalere observatio docuit, diminutionem moliebatur. Imperata igitur sunt haec:

Rec. Tinct. Valerian. ʒiij.
Asae foetid. ʒj.
M. D. S. Horis alternis guttae sumantur xx.

Per intervalla ad tollendam alvi obstipationem enemata aperientia et Oleum Ricini, ad minuendam

vero leucorrhoeam, atonia productam et sustentatam, injectiones Decocti corticis Quercus (℥vjjj ex ℥ß) per vaginam instituebantur.

Ista autem remedia non magis quam sulphur aliquamdiu adhibitum aegrotae conditionem, praecipue quod subjectivam valetudinem attinet, mutabant, quanquam objectiva symptomata vix et ne vix quidem graviorem aegrotationem indicabant.

Pertinacioris alvi obstructionis causa haec medicina offerebatur:

Rec. Solut. Magnes. sulphur. (℥ß) ℥vj.
Mellag. Gram. ℥j.
M. D. S. Omni bihorio cochlear maj. detur.

In vaginam aqua Kreosoti injiciebatur, ceterum balnea tepida et repetitis vicibus hirudines No. X — XV ad symphysis ossium pubis regionem applicabantur. Quum ischuria accessisset, ante d. XIII et XII. Calend. Julii catheterem adhiberi necesse fuit, quo ingens urinae copia eliciebatur. Ne tum quidem aegrotae conditio mutationem subiit, si alvum excipias, quae magis ad normam respondere coeperat. Instituta exploratione per vaginam et anum, portio vaginalis uteri elongata et indurata, os uteri excoriatum inveniebatur. Quae cum affectio ad externos magis quam internos morbos pertineret, mulier ante d. IV. Calend. Julii in numerum aegrotorum morbis externis laborantium excipiebatur.

Exploratione speculi vaginae ope aliquoties repetita, nihil amplius dubitari poterat, aegrotam incipiente induratione scirrhosa colli uteri et orificii ejus excoriatione laborare, quae per longius tempus jam protractae, dolores acerbos per intervalla

augescentes efficerent eoque modo valetudinem magis atque magis offenderent. Quum persuasum esset aegrotae, saluti suae eo tantum consuli posse, ut operationi submitteretur, eam sese passuram esse affirmavit.

Operationis necessitas his argumentis probari videbatur.

Durities colli uteri et excoriatio orificii ejus morbi naturam non amplius suspectam, sed certam reddiderunt; dolores magis magisque increverunt, vires autem decreverunt, malum diuturnum fuit atque pertinax; aegrota, sanitatem recuperandi desiderio impulsa, operationem haud recusavit; denique similia vitia exstirpatione radicitus posse sanari, experientiae testimonia nobis persuaserunt.

Ipsis Calendis Julii operatio ab Illustr. Prof. *Dieffenbach*, postquam adhibito vaginae speculo portionis vaginalis degeneratio iterum confirmata erat, in caritatis nosocomio hunc in modum administrabatur.

Aegrota horizontalis et supina, elevatiori regione sacra, in margine tori ad operationes chirurgicas adaptati locabatur immissoque in vaginam speculo Ricordii portio vaginalis uteri forcipula hamata a Muzeux inventa prehendebatur, eademque, demto speculo Ricordii, ad vaginae introitum usque protrahebatur, dum administri duo labia pudendi satis distinebant atque reprimebant. Simulatque portio vaginalis extra vaginam in conspectum prodierat, cultello simplici promte ac celeriter rescindebatur. Aegrota, inter operationem nonisi mediocres dolores conquesta, illa peracta gravius affecta videbatur, pallescebat enim, convulsiones accedebant leviores, labiorum oris pars rubicunda coerulesce-

bat et lipothymia haud procul aberat. Ad sedandum sanguinis profluvium aqua glacialis per vaginam injiciebatur, eaedemque injectiones continuabantur, quum aegra ad lectulum esset delata. Etsi haemorrhagia per aliquot momenta cessit, elapsa tamen hora dimidia profluvium secundarium tam copiosum irruebat, ut aegrota in lipothymiam incideret pluresque sanguinis libras amitteret. Aquae frigidae injectionibus haemorrhagiam sedandi pericula quum desideriis non responderent, duae spongiae vaginales *Wigandii*, aceto et aqua imbutae, satis alte in vaginam immittebantur, splenium crassius orificio uteri apponebatur et fasciae T formis ope muniebatur. Suppresso nec redeunte sanguinis fluxu, ad internum usum haec praecipiebantur:

Rec. Decocti Althaeae
Aqu. Cinnamomi āā ℥viij.
Acid. phosphor. ℥ß.
Syrup. Alth. ℥j.
M. D. S. Singulis horis cochlear maj. hauriatur.

Aegrota viribus defecta per intervalla convellebatur vulnerisque dolores conquerebatur; alvi obstipatio et urinae retentio partim clysmatibus partim cathetere tollebatur. Altero, die quum dolores persisterent, imo ingravescerent, aquae Cinnamomi loco Tincturae Opii crocatae scrup. j. medicinae ante dictae adjiciebatur. Doloribus regionis pubis tum quoque urgentibus, spongiae vaginales extrahebantur, nec ulla redibat haemorrhagia.

Ob tenacem alvi obstructionem modo Electuarium lenitivum Oleum Ricini et enemata aperientia, modo Emulsionem ex Oleo Ricini adhiberi necesse erat, at aegrotae nullum dictorum remediorum placuit, aliud enim dolorem, aliud nauseam, aliud ven-

tris tormina excitare, aliud denique lipothymiam sibi inferre dixit, continuoque molestias accusavit, quae nullis symptomatibus objectivis indicabantur. Proinde hysterica affectio, quae prius locum habuerat, summo cum impetu rediit, locales vero difficultates exiguum tenuere gradum, secreti seroso-sanguinei modica copia ex vagina profluxit, dum Infusum florum Chamomillae tepidum per vaginam injiciebatur.

Hysteriae gravissimae causa haec praescripta sunt:

Rec. Infusi Valerian. (ex ʒij) ℥vj.
Liquor. Ammon. succin. ʒij.
Solut. succ. Liquirit. ℥ß.
M. D. S. Omni bihorio cochlear majus detur.

Inter haec conditio mulieris tam universa quam localis per aliquot dies satis bona apparuit, secretio per vaginam parcior evasit, et ante diem tertium Idus Julii et pridie Idus, quum aliae aegrotae, in eodem conclavi cubantes, horroribus fibrilibus corriperentur, nostra etiam horrorem aestumque internum alternantes accusabat et ad sudores sese propensam affirmabat, quanquam nec pulsus nec alia symptomata effatis ejus fidem facerent. Interpositis dein aliquot sub valetudine prospera diebus, ante d. XIII. Calend. Augusti molestiae recrudescebant: aegrota horrorem, capitis temulentiam ineffabilem querebatur, ventris uterique dolores non aliter sese habere affirmabat, ac si fulmina cerebrum perstringerent, ut brevibus dicam, a morte proxime sese abesse judicabat. Veruntamen phiolae aliquot Infusi florum Chamomillae additaque solatia mox effecerunt, ut pristina valetudinis conditio restitueretur. Interea secretio per vaginam parcissima

evaserat et exploratio per vaginae speculum instituta vulneris mutationem prosperrimam evenisse docebat: superficies externa cutanea colli uteri, per totum ambitum introrsum conversa, ad marginem interiorem propius accesserat et faciei vulnerariae amplitudinem non mediocriter diminuerat. Injectionibus Infusi florum Chamomillae aliquamdiu continuatis ante d. V. Calend. Augusti Argentum nitricum fusum topici adhibebatur, sub quibus vulneris ambitus magis magisque contrahebatur et mulier tam bene valebat, ut querelas edere desineret. Vulnus perfectam obtinuit cicatricem, valetudo universa integra mansit et ante d. V. Idus Augusti mulier ex nosocomio dimitti potuit.

II.

Friderica Vogel, de gente *Buda*, octo et viginti annorum, viro nupta, pridio Nonas Augusti c. a., induratione maligna portionis vaginalis laborans in numerum aegrotantium nosocomii caritatis recipiebatur. Aegrota ad modum plethorica ex biennis iis affectionibus et molestiis conflictabatur, quae graviores organorum sexualium degenerationes antecedere et comitari solent: catameniis nimirum anomalis, ut plurimum nimiis, doloribus trahentibus regionis sacrae, ad pubis regionem pergentibus, dyspepsia, nausea, chronica colli uteri inflammatione, crebriorem hirudinum applicationem requirente, quae saepius recrudescens magnam induxerat duritiem. Hanc ob rem aegrota jam verno tempore a. c. ad caritatis nosocomium sese contulerat,

auxilium petitura, at ne validissima quidem remedia opem tulerant molestiasve minuerant; e contrario morbus, relicto nosodochio, in deterius abiit aegrotamque coegit, ut eodem refugeret, fore enim speravit, ut operatione malum tolleretur. Ingens portionis vaginalis durities, quamqam nodulorum scirrhosorum excoriationes dextri lateris colli uteri, sensibilitas ejusdem permagna, valetudinis universae perturbationes supra memoratae, quae ne ullis quidem remediis cesserant, denique metus, ne malum in carcinoma verum verteretur, ultimum refugium in exstirpatione partis induratae poni jusserunt, eo magis, quod paulo ante casus haud dissimilis et paene deterior, instituta operatione prosperrimum obtulerat eventum. Proinde operatio eadem plane ratione administrabatur ac in casu priori attamen haemorrhagia secundaria obturatione et frigore sedari non poterat, sed ferrum candens in usum vocari oportebat. Colli uteri exstirpatum indurationem cartilagineam, chronica inflammatione productam, obtulit, quae haud dubie, si orificii uteri excoriationem satis amplam respicias, ulcerationis admodum periculosae causam suppeditare potuisset. Valetudo universa mulieris majori anaemia, haemorrhagiam largam secutae, gradu turbabatur. Febris initio levior apparebat, tertio demum die simul cum profluvio materiae foetidae corrosivae per vaginam exacerbatio febrilis tanta incursabat, ut venaesectio unciarum X institueretur et dolorum regionis pubis gratia hirudines quindecim et fomenta frigida ad eam applicarentur. Ad usum internum Valerianae Infusum cum acido sulphurico imperabatur. Spongiis ex vagina ablatis injectiones solutionis Calcariae chlorinicae cum Infuso florum Cha-

momillae in eam instituebantur. Valetudo dein novis injuriis non offendebatur, sed magis magisque, uti sperare licuit, reficiebatur. Promtiorem autem sanationis vulneris processum eheu! haemorrhagia, septimo post operationem die exorta, nimirum crustae gangraenosae dejectione inducta, intercepit, quippe quae, ut sisteretur, iterum at cauterium actuale confugi juberet. Decoctum radicis Ratanhiae cum Alumine crudo et tinctura Cinnamomi, quo ad juvandum externorum haemostaticorum effectum utebamur, elapsis aliquot diebus sepositum et Valerianae Infusum acidis mineralibus conjunctum optimo cum fructu adhibitum est. Quum post triduum spongiae iterum imissae ex vagina essent retractae, ad corrigendum profluvium causticum, nec non ad sublevandam dejectionem crustae gangraenosae, vulneris superficiem tegentis, necroticaeque telae cellulosae finitimae, aqua oxymuriatica pervaginam injiciebatur. Particulis necroticis omnibus ante d. IV. Calend. Septembris excussis profluvium humoris putridi subito desiit vulnusque superficiem bona granulatione obtectam exhibuit. Valetudo universa tam laeta apparuit, ut mulier paulo post lectulum per aliquot horas quotidie relinquere posset; vires in dies accreverunt, et molestiae universales a systematis sexualis turbatione pendentes plane cesserant.

III.

Quos descripsi casus, in caritatis nosocomio sese obtulerant, tertius autem, qui sequitur, a Profess. *Dieffenbach* in privata praxi observatus atque curatus est.

Foemina viginti octo annorum, quae ante quadriennium primum partum ediderat habitu corporis leucophlegmatico sed pleno et aliquanto obeso praedita ex duobus tribusve anis dolorem infimi ventris obtusum et trahentem conquerebatur, praeterea continuo languore et sensu quodam ingrato, tanquam pondus aliquod sinum pudendi obrueret, sese vexatam esse narrabat; fluor albus levioris gradus aderat. Digito per vaginam immisso, uterum justo magis descendisse cognovimus, portio vaginalis in longitudinem solito magis evoluta fuit, labrum ejus anterius tumefactum rostri instar prominuit, orificium uteri tactu dolens rotundumque patuit, ut digiti indicis apex inseri posset. Adhibitum speculum vaginae omnia haec confirmavit, praeterea tumor et superficies lateralis granulationibus parvis rubellis obsita erant, quae non modo orificii marginem ambibant, sed etiam in cavitatem usque porrigebantur. Admoto digito mucus sanguinolentus secernebatur. Quae conditio semper morbosam animi temperiem aegrotae effecit, etenim scirrho laboravit incipiente, curatio novimestris non modo dolores non diminuerat, sed intenderat, malumque nova semper incremeta cepit; injectiones, balnea aliaque incassum adhibita erant. Medicus postremo arcessitus primum aegrotae propinquis, tum huic ipsi operationis necessitatem indicavit. Aegrota longe facilius, quam ejus propinqui, necessitati cessit, quo facto exstirpatio eodem modo, ut in casibus supra descriptis, a Profess. *Dieffenbach* tanta dexteritate atque celeritate administrabatur, ut aegrota vix de operatione peracta sibi persuaderet. Adnotetur oportet, uterum, quum forcipula hamata a Muzeux inventa protraheretur, facillime esse secutum, quo factum

est, ut aegrota exiguis tantum doloribus afficeretur. Magni momenti illud esse videtur, quod praetermittere silentio non possum; resecta parte degenerata haemorrhagia primum exigua fuit, dein sanguis initio pallido-rubellus, tanquam ex utero non gravido, profluxit, quum vero aliquamdiu fluxisset, ruborem saturiorem obtinuit. Uterus post operationem retrahebatur, injectiones frigidae, fomenta gelida ad genitales partes applicata et situs supinus tranquillus mox haemorragiam sedabant. Inflammatio quidem levior evolvebatur, at haemorrhagia secundaria non subsequebatur. Proximis octo diebus profluvium humoris seroso-sanguinolenti uti influxu lochiali, apparuit, quod brevi tempore injectionibus Infusi florum Chamomillae coërcebatur. Doloribus post operationem aegrota penitus destituebatur, et valetudinis integrae restitutio intra hebdomades quatuor et dimidiam adeo perfecta contigit, ut exploratio per vaginae speculum instituta, cicatricem non minus egregiam ostenderet, ac si nulla operatio esset administrata; etenim ipsa orificii uteri rima normalis apparebat, eo tantum discrimine, ut utriusque labii longitudo eadem existeret. Femina hoc ipso tempore ea gaudet valetudine, ut de radicali morbi sanatione non amplius possit dubitari.

Multi quidem sunt auctores, qui totius uteri scirrho jam correpti exstirpationem se fecisse ac curam radicalem produxisse, contendant, quod dubito; hocce enim malum sanari tantum potest, si collum uteri in degenerationem incidere coepit, et in hocce casu Operatio supra a me laudata adhibenda est; corporis enim uteri exstirpatio, si degeneratum est, certum exitum letalem secum ferret.

VITAE CURRICULUM.

Ego, Davides Rosenkranz, Innowraclaviensis, triginta annos natus, patre optimo J. Hiller, matre carissima Valia, e gente Goeliana, quos ambos mihi parentes ereptos, valde lugeo. Fidei veteri sum addictus.

Primis literarum rudimentis in schola urbana imbutus, Anno millesimo octingentesimo duodevicesimo, lares patrios reliqui et Berolinum me contuli et gymnasium Coloniense, quod tunc duce Cel. Bellermann florebat, frequentavi. Quo relicto examine abiturientium facto, ab Illustr. Hoffmann anno MDCCCXXVI, tunc temporis fasces academicos tenente, numero civium Universitatis adscriptus et a Beat. Rudolphi t. t. decano facultatis medicae in album Ordinis medici relatus sum; inde hisce virorum illustrissimorum et celeberrimorum praelectionibus et exercitationibus clinicis interfui. Beat. Knape de osteologia, syndesmologia, Illustr. Hermbstaedt et Illustr. Mitscherlich de chemia, Illustr. Boekh de Pindari carminibus et Terentiae comoediis, de anatomia, physiologia, anatomia comparata et encyclopaedia medica Beat. Rudolphi mihi dux fuit, neque minus cadaveris artem dissecandi Beat. Rudolphi et Beat. Knape mihi tradiderunt. In botanice ducem habui Illustr. Link, nec non in historia naturali. De philosophia naturali et logice

Beat. HEGEL, de zoologia Illustr. LICHTENSTEIN audivi, Illustr. ERMANN de magnetismo et electricitate lectiones adii, pathologiam generalem ac specialem, morborum syphiliticorum ac mentis curationem Illustr. HORN et HECKER me docuerunt; de materia medica praeceptorem habui Illustr. OSANN, de arte formulas medicas concinnandi Cel. CASPER, de ossium luxatione et fractura Illustr. KLUGE duces mihi fuerunt. Ad geographiam physicam Illustr. de HUMBOLDT, ad novissimam historiam Illustr. GANS me instituerunt. Ad clinicorum tam medicorum quam chirurgicorum neque minus obstetriciae penetralia adeunda duces mihi fuerunt. Perillust. HUFELAND, Illustr. OSANN, Illustr. RUST, Illustr. BARTELS, Illustr. BUSCH, Illustr. JÜNGKEN, Illustr. WOLFF, Illustr. TRÜSTEDT, Illustr. DIEFFENBACH. Omnibus hisce praeceptoribus gratias quam maximas debeo; eorumque in me bene merita pia grataque mente venerari nunquam desinam.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite peractis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In curandis chronicis morbis victus potius quam medicamentorum ratio habenda est.

II.

Maxima medicorum aberratio homoeopathia.

III.

Morbos existere spurios nego.

IV.

Plurimi mentis morbi corporis vitiis oriuntur.

V.

Quemque abscessum magna incisione aperiendum nego.

VI.

Exanthemata acuta pro crisi habenda sunt.